3

TABVLA CAPITVLI GENERALIS ROMANI

Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia

1600.



ROMAE, Ex Typographia Nicolai Mutij. M. DC.
Superiorum permiſſu.

In Nomine Domini Amen.

HAEC eſt Tabula Diffinitionis, huiuſce celeberrimæ Congregationis Generalis, in hoc Conuentu S. Mariæ de Aracœli; Romæ Anno Domini M. D C. die xx. Maij, ſub Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D.F. Bonauentura Secuſio Patriarcha Conſtantinopolitano, Ordinisq; Minorum Generale Miniſtro celebratæ: Præſidente Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. D. Camillo Burgheſio S. R. E. Cardinale, ad hoc munus ſubeundum à Sanctiſſ. D.N.D. Clemente PP. VIII. ſpecialiter deputato.

In primis, ſeptennio præfati Illuſtriſſ. ac Reuerēdiſſ. D. Patriarchæ, Ordinis Minorum Generalis Miniſtri fœliciſsime abſoluto; Reuerēdiſſ. Pater Fr. Franciſcus a Soſſa Prouinciæ Sancti Iacobi Pater: omnibus ferè ſuffragijs in Generalem Miniſtrum totius Ordinis Minorum electus eſt.

Commiſſarius verò Generalis Ciſmontanæ familiæ, Reuerēdiſſ. P. F. Io. Franciſcus Macolinus, Prouinciæ Bononienſis Pater, poſtquam in ea fuerat miniſter, & Ordinis Diffinitor.

Procurator Ordinis in Romana Curia Adm. R.P. F. Ioannes Rada Prouincię Sancti Iacobi Pater.

Commiſſarius vero eiuſdem Curię Adm. R. P. F. Marcus ab Antiquo Prouinciç Marchiæ Pater.

DIFFINITORES VLTRAMONTANAE FAMILIAE.

Adm. R.P. F. Andræas Banonus Prouinciæ S. Ludouici Miniſter.
Adm. R.P. F. Io. Baptiſta Molles, qui erat Curiæ Rom. Commiſſarius.
Adm. R.P. F. Ioannes Cepeda Prouinciæ Conceptionis Miniſter.
Adm. R.P. F. Ioannes Ruffus Prouinciæ S. Bonauenturæ Miniſter.
Adm R.P. F. Gaſpar Cholerus Prouinciæ Argentinæ Miniſter.
Adm. R. P. F. Balthaſar Vincent. Prouin. inferiores Germaniæ Miniſt.

DIFFI

DIFFINITORES CISMONTANAE FAMILIAE.

Adm. R.P. F. Franciſcus Palumbaria Romanæ Prouinciæ Miniſter.
Adm. R.P. F. Franciſcus à Belgioſo prouinciæ Sancti Didaci Pater & Cuſtos.
Adm. R.P. F. Petrus à Spoleto prouinciæ Sancti Franciſci, Ordinis Secretarius.
Adm. R.P. F. Vincentius à Polizo prouinciæ Siciliæ Miniſter.
Adm. R.P. F. Antonius Boſnus, prouinciæ Boſnæ Argentinæ Miniſter.
Adm. R.P. F. Paulus à Sulmona prouinciæ S. Bernardini Cuſtos.

GVARDIANI.

Guardianus Hieruſalem R.P. F. Franciſcus Manerbas ex prouincia Brixienſe.
Guardianus Conſtantinopolitanus R.P. F. Ioannes à Contorſo ex prouincia Principatus.
Guardianus S. Claræ Neapolitanæ P. F. Ioannes à Luca ex prouincia Florentiæ continuatur.

SEQVVNTVR ORDINIS STATVTA.

A S^MO D. N. D. CLEMENTE PAPA OCTAVO

QVatenus licita, ac Sacris Canonibus & Concil. Trident. & Apoſtolicis decretis non aduerſentur confirmata, per ſuas litteras ſub Annulo Piſcatoris expeditas die 5: iunij 1600. quibus decernit, ex tunc, irritũ & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter cõtigerit attẽtari. Non obſtantibus noſtri Ordinis etiã iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, eidem Ordini, illiusq. Superioribus, Prouincijs Domibus, Collegijs, Monaſterijs, Cõuentibus, & perſonis ſingularibus vtriuſque ſexus quomodolibet conceſſis, cõfirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habendo, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogat, cæteriſq. contrarijs quibuſcumque.

PRO VTRAQVE FAMILIA.

CVM experientia conſtet, nihil magis aduerſari Cœnobiorum paci, & tranquillitati, quam diſcretorum ad Prouincialia cõmitia deſtinandorum: per Fratrũ ſuffragia electio, illos omnino è medio tollimus, in prouincijs quæ ad minus decem habent Conuentus, declarantes electiones omnes, in dictis Capitulis faciendas eſſe, per reliquorum omnium ſuffragia, qui iuxta generalia Ordinis ſtatuta, vel cuiuſcunque prouinciæ, debita authoritate facta; vocem actiuam ſoliti ſunt habere in dictis capitulis, ſeruata in omnibus Noua Sanctiſſ. D.N.Clementis Papę VIII. conſtitutione, annullante Neapolitanam conſtitutionem, & omnes alias ſimiles: quarum tenore, prouinciarum Patres: perpetui Diffinitores inſtituebantur. Nihilq. aliud Sanctiſsimus innouare voluit, circa antiqua Ordinis ſtatuta, prout ipſe ſuam exponens conſtitutionem de ſolo Diffinitoriatus officio, viuæ vocis oraculo dignatus eſt concedere Reuerendiſſ. P. Generali Miniſtro.

Reue-

Reuerẽdiſſ. Pater Generalis Miniſter de conſilio aliquorum peritorũ Patrum, certum ac præfixum cõferat modum, vniformiter ab omnibus, & irrefragabiliter obſeruandum; in iudicijs peragendis, circa illa præſertim, quæ ſunt in ordine iudiciali, de ſubſtãtia iuris Pontificij; ne Prouinciarum Prælati, abutentes priuilegio ea omittendi, quæ ſunt de apicibus iuris, potius eorum opinioni, quam communi bono ſatisfacere ſtudeãt. Circa appellationes obſeruetur ad vnguem Gregorij XIII. fœl. recor. & ſacræ regularium Congregationis mandatum.

Miniſtri Prouinciales, & reliqui omnes ſuperiores, qui negligentes fuerint, in pœnarum executione contra recurrentes ad aliena tribunalia, vel impetrantes fauorem extra religionẽ: pro officijs in ea obtinendis, iuxta conſtitutiones eiuſdem Gregorij, & noſtra ſtatuta; ijſdem pœnis ſubiaceant, quibus plectendi erant ipſi delinquentes.

Pœnæ etiam in noſtris generalibus conſtitutionibus contentæ, contra procurantes, vel habentes pecunias, vel eis vtentes, contra regulæ noſtræ puritatem, ſine diſpenſatione aliqua, executioni mandentur. Et ne quis ſuo arbitrio, ſed ſolius Prælati, etiam iuxta largientis voluntatem, pecuniã ipſam cõſumare, per ſe, aut per alios poſsit: ſtatuimus ſub proprietatis pœnæ, ne quis fratrum, abſq; peculiari Miniſtri, aut Guardiani facultate, & aſſenſu, pecuniã ſibi oblatam, etiã pro neceſsitate præſenti, aut imminenti, & omnibus modificationibus ſeruatis, iuxta Apoſtolicas ſanctiones conſumat. Nec Prælatorum quiſquam, alicui ſubditorum licentiam in vniuerſum concedat: ſed peculiaris facultas ſit ſemper neceſſaria, ad quaſcunque etiam minimas res comparandas. Et declaratur iuxta ſancita per Dños Papas Martinũ V. & Pium IIII. quod dominium pecuniæ licito modo oblatæ pro fratrum neceſsitatibus, ad Sedem ſpectat Apoſtolicam.

Strictiſsime cauetur ne quis fratrum, quaſcumque amicitias ſeu priuatas cum monialibus collocutiones, noſtræ vel alterius religionis ſub quolibet habeat prætextu; ſub pœna priuationis vocis actiuæ & paſsiuæ, & perpetuę inhabilitatis, ad omnia ordinis officia obtinenda.

Cum ex regula noſtra habeamus, quod fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, Apoſtolicis inhęrentes declarationibus, ſtricte pręcipimus, quòd panni vilitas, tam in pretio quàm in colore, attẽdatur, in quibus aſperitas & paupertas maxime reluceat, & veſtimentorum vniformitas vbique ſeruetur, quæ conformitatem indicet animorum. Ita tamen in vilitate reſplendeãt ſancta paupertas & humilitas, quod non deſit prudentia, propter monſtruoſam repetiationem, & tandem talibus omnes fratres induantur veſtimentis, quod neque de curioſitate argui, neque de ſuperſtitione notari merito poſsint.

Cum ex inordinato rerum vſu, aliquę proprietatis occaſiones naſcantur: pręcipimus omnino, quarumcũque rerum proprietatem ab omnibus fratribus eſſe auferendam, omnemq. ſupęruacaneam ſupellectilem

prorſus tollendā. Nec deinceps aliam ſupellectilē frater aliquis habere audeat,niſi quā ſuus Guardianus ei conceſſerit,In qua re ſuperiorū conſcientiā oneramus,eiſq. præcipimus, ne ſub aliquo colore vel prætextu, ampliorē q̃ neceſſitas expoſtulat ſupellectilē alicui cōcedant, ſed fratres oēs ad obſeruātiam purā Martinianę conſtitutionis reducere conentur.

Si quis ex quatuor electis prouinciarum Diffinitoribus, vita exceſſerit in demortui locum ſubrogetur, qui ex prouincię Patribus ordine antiquior fuerit, Is videlicet qui prior fuit Miniſter electus, vel Diffinitor. Et ſi nullus ſit talis: tunc principalioris conuentus Guardianus ſubrogetur, qui ſubrogatus ſi in eo munere, integro biennio extiterit: in ſequenti prouinciali Capitulo non poterit elegi Diffinitor. Et idem ordo ſeruetur ſi per renunciationem vel aliter, Diffinitoriatus officium vacauerit.

Confirmantur erectiones Prouinciarum S. Gregorij Philippinarum, & Sancti Pauli Hiſpaniarum.

Declaratur duas eſſe prouincias diſtinctas,illam quę duodecim Apoſtolorum de lima nuncupatur, & illam quę in Toletanis conſtitutionibus, Prouincia S. Antonij Charcarum appellatur, & cum ſine ordinis facultate, fuerint aliquando dictæ prouincię coniunctę, nunc de nouo diuiduntur, & ſeparantur.

Declaratur etiam Prouinciam Sanctæ Crucis vel Caracarum in Inſula, quæ dicitur Hiſpañiola, vel Sancti Dominici, veram eſſe,& nuncupari debere Prouinciam.

PRO FAMILIA CISMONTANA.

AD euitandam omnis diuagationis,& diſcurſus occaſionem, ordinamus, nullum ex Italicis prouincijs fratrem, poſſe de familia collocari in aliquo extra ſuam prouinciam Conuentu, neque ſub ratione ſtudij, lectoriæ, prædicationis, neque ſub aliquo quocūque reſpectu. Pro cuius meliori executione, omnibꝰ Patribus Miniſtris, ſub ſuorum officiorum priuationis pœna,ipſo facto incurrenda,pręcipimus,vt intra quindecim dierum ſpatium, à reditu in proprias prouincias, ab eis excludant, atque omnino eijciant,quoſcumque ex alienis prouincijs fratres, ibidem inuenerint non incorporatos, eiſq. teſtimoniales literas concedant, in eiſdem præcipientes ſub obedientia, & cenſuris,vt ad vnguem obediant,& obtemperent, quòd ſi facere renuerint, contra illos,ac contra inobedientes procedant, & Guardianum qui eos in ſuo Conuentu retinuerit ab officio abſoluant.

Vt literarius profectus magis in dies augeatur, & qui ad hoc exercitium aſſumuntur, dotibus requiſitis ſint decorati: ordinamus, iuxta Pij V. fœlicis record. conſtitutionem, vt nomine prouinciæ illa careat, quæ tres ad minus Conuentus, in quibus Gramatica, Logica, phyſica,

& Theologia legantur: cum neceſſarijs magiſtris non habuerit. Quorũ ſtudiorum lectores, à Patribus Miniſtris, & Diffinitoribus ſunt eligẽdi. Et ab eiſdem examinãdos eſſe decernimus, omnes illos, qui ad ſtudium ſunt deſtinandi. Reuerẽdiſſimos etiam Patres Generalem Miniſtrum, & Commiſſarium Generalem Diffinitorium ſupplex exorat, ne ad prędictos Conuentus ſtudiorum; fratres ex alienis prouincijs, ſtudentes deſtinent, vt mala euitare valeant, quæ adhuc experta ſunt. Ab hac tamen cõſtitutione, excipiuntur omnes vltramarinæ prouinciæ, quæ cõmode ſtudia prædicta formare nequiuerint.

Ordinamus inſuper, nullum ex Italicis prouincijs prædicatorem, à ſua prouincia exire poſſe, prædicationis titulo, vel prætextu etiam tempore Aduentus, vel Quadrageſimæ. Prædicatorum tamen diſtributio, ac deſtinatio locorum in quibus prædicari debeant; ad Patres prouinciarum Miniſtros pertinet. Et eleemoſynæ pro prædicationibus elargitæ; illi Conuentui ſunt tribuendę, in quo prædicator de familia manet. Verum ſi aliquando per Generales Prælatos, alicui concedatur, vt extra prouinciã prædicare valeat (quod rariſsime & magna ex cauſa faciendum eſt) eleemoſyna prædicta prædicatori elargita, ſupra dicto modo diſtribuenda eſt, & non aliter.

Strictiſsime obſeruandum eſſe monemus, illud quod ex Sacro Trid. Concilio ſæpius ordinatum eſt, ſcilicet nullum conuentum ex noſtris plures habere poſſe fratres de familia, quam qui commode in eis ſuſtẽtari poſſunt. Et vt hoc debitæ mandetur executioni; omnibus Patribus Guardianis præcipitur, vt omnium fratrum indigentijs diligenter conſulant, & vitæ humanæ neceſſarijs ſolicite prouideant; tam cum ſani fuerint, quàm cum infirmari contigerit: nec ſolum in victu, verum etiam in veſtitu. Et ne ſub prætextu non obſeruantiæ huius noſtræ conſtitutionis, ad vitium proprietatis, vel ad alia quæuis, aliquis confugere audeat: præcipitur etiam ijſdem Guardianis, vt infirmis fratribus omnia illa tribuant & concedant, quæ à medicis ordinata fuerint, ſanis tamen & valentibus fratribus, tempore carnium miniſtrentur cuilibet in prandio pro ſua portione ſex vnciæ, & aliæ ſex ſimiliter in cæna, cum ſuo iure in vtraque menſa. Alijs autem temporibus, quibus prohibitus eſt eſus carnium, dabitur ſingulis fratrum in prandio pitantia ſex vnciarum piſcis, & ſi Guardianus aliquis aliter fecerit, ipſo facto ſit ab officio abſolutus. & ſimiliter abſoluatur ab officio Miniſter, qui pœnam hanc executioni non mandauerit.

Ordinamus etiam, vt in qualibet prouincia, illi deſignentur Conuentus, pro nouitiorum educatione, qui commodiores videbuntur, & Magiſtri pro illis educandis, zeloſi & prudentes eligantur. Et in eorundem nouitiorum receptione, Apoſtolica decreta ad vnguem obſeruentur, & vltra ea diligenter curari debet, vt tales recipiantur ad Ordinem, quales noſtræ conſtitutiones illos deſiderant. Quod ſi mini-

ſter, aliter illos ad habitum admiſerit; ab officio ſuo omnino remoueatur.

Et cum orationis mentalis exercitium, tanti ab omnibus religioſis habendum ſit vbique: præcipimus, vt Guardianus, qui in ſuo Conuentu, quæ ſtatutum Generale de oratione mentali diſponit, infringi permiſſerit, irreuocabiliter ab offitio deponatur.

Experimento compertum eſt, multum obeſſe ſi Prædicatores, vel per ſe ipſos, vel per amicos, tam Fratres, quam ſæculares, loca & Eccleſias petierint in quibus concionentur, nam prædicant non miſsi. Quare omnino prohibemus, ne concionator aliquis, etiam inſignis, de loco ſuæ prædicationis curam gerat, ſed iuſſui & obedientiæ ſuperiorum omnino ſubiaceat, qui eum Deo inſpirante, eo mittant vbi neceſsitas & vtilitas poſtulauerint. Volumus etiam, vt prædicatores ad concionandum miſsi, ſocio honeſto, & exemplaris vitæ committentur. Nec vnquam ſoli poſsint ire, nę quod verbis ædificant, exemplo vitæ deſtruant. Vt autē omnes auaritiæ ſint prorſus expertes, nec Verbum Dei tanquam venale habeatur, nullum pro ſe ipſis, vel pro ſocijs, quæſtum frumenti, vel olei, vel alterius rei facere audeant.

Ad cuſtodiendam ſolitudinem, quæ ſpirituali vitæ plurimum conducit, illud præcipitur, ne ſub pœna priuationis officij, Miniſtrorum, vel Guardianorum aliquis, cappellanias habeat, exceptis locis illis in quibus Principes, vel communitates volunt Fratres noſtros tãtum celebrare, ob eam deuotionem, qua erga ordinem afficiuntur. Illa etiam oratoria, vel confraternitates excipimus, quæ à noſtris Patribus olim fundata fuerunt, aut per longum temporis ſpatium de eis curam geſſerunt. Vltramarinas etiam excipimus Prouincias, quæ ob eorum populorum pietatem, ac ipſorummet inopiam huic legi ſubiectas eſſe nolumus.

Cum ex monaſteriorum frequētatione, ſoleant interdum colloquia, ac familiaritates oriri, ſtricte præcipimus, ne Fratres noſtri habeant capellanias in monialium moneſterijs, ſiue noſtri, ſiue alterius ordinis. In ſolemnitatibus, autem, vel obitu noſtrarum ſororum, ad celebranda diuina officia, & miſſas: accedere poſsint, hi qui à ſuperioribus miſsi fuerint. Confeſſarijs monialium Sacerdos aliquis, pro ſocio aſsignari poterit ſi expedire videbitur, qui ſacrum celebret, ſed nullo modo confeſsiones audiat.

Ad eas vagationes, ex quibus ſcandala, ſæpe oriuntur omnino tollendas, præcipimus, ne Miniſter aliquis, Fratres ſuos extra Prouinciam, quæſtus gratia mittere audeat, nec Guardianus extra limites ſui loci, quæſtores ire patiatur, ſed Salmanticenſe omnino ſeruetur decretum.

Cum ſtatutorum, & decretorum multiplicatio, dãnum potius quã vtilitatem pariat: iubemus ea ſeruari, quæ in Salmanticenſi generali

Capitulo pie, ac mature ab vniuerſis noſtræ religionis Patribus ordinata ſunt. Et modus in eis præfixus circa præcedentias ſtricte ab omnibus ſeruetur.

Cum cauſarum iudicium, ad externos deuolutum, ſcandala maxima noſtræ religioni gignere ſoleat, idcirco volumus, vt in loco noſtro Aracæli Romæ, duo maturi, ac prudentes, religioſiq. Patres de familia aſsignentur, qui cauſas Fratrum coram Patribus Procuratore, & Cōmiſſario Romanæ Curiæ audiant, eiſq; aſsiſtant, quo facilius ijs qui ad alienos confugiunt, via omnino præcludatur.

Ne iuuenes diſcendi cupidi, ignorantiæ tenebris obnoluantur, propter magiſtrorum inopiam: volumus, Prouinciam Poloniæ, vltramarinas, ac Corſicæ, quæ ſcholis, ac preceptoribus deſtituuntur, eos quos idoneos, ac alicuius ſpei nouerint Fratres, ad ea ſtudia Italicæ mittere poſſe, quæ Reueren. Patres Generalis, & Commiſſarius ordinauerint.

Si contrauenientes conſtitutioni S. D. N. CLEMENTIS Papæ VIII. de muneribus non recipiendis, à ſuis ſuperioribus nón fuerint pœnis in dicta conſtitutione contentis puniti, ſuperiores ipſi in hoc negligentes, eiſdem pœnis ſubiaceant.

Pœnas excommunicationis, & ſuſpenſionis à diuinis, etiam ipſo facto incurrendas, per quęcūq; ſtatuta, tam Generalia, quam Prouincialia, Fratribus cuiuſcunq. familiæ inflictas reuocamus, & annullamus, ac in alias pœnas, iuxta delictorum, qualitatem, ſuperiorum arbitrio commutamus.

PRO GALLICIS, ET BELGICIS PROVINCIIS.

OMnes Gallicæ prouinciæ, regantur ſecundum ſtatuta Barchinonenſia, ab antiquis recepta, & à Pio V. Pont. Max. approbata, nec recentioribus paſsim grauari ſtatutis, à Commiſſarijs latis permittimus.

Renouatur ſtatutum Capituli Generalis Romani anni 1571. ab eodem Pio V. approbatum, pro continuatione Guardianorum, quamdiu vtiles, aut neceſſarij videbuntur, in aliquibus conuentibus, iuxta iudicium Patrum Miniſtrorum, & Diffinitorū Prouincialis Capituli.

Commiſſarij mittendi ad prædictas Galliæ Prouincias; notionales ſint ex eiſdem Prouincijs, vel ſaltem ex vicinioribus, ne ſumptibus, & expenſis grauentur, qui Commiſſarij, nulla poterunt ſtatuta condere ſine diffinitorum conſenſu.

Pater Procurator ordinis curabit à S. D. N. obtinere aliquod breue, quo prohibeatur Reuerendiſſ. Dominis Epiſcopis, ne recipiant, neque receptos detineant Fratres, à ſuis Prouincijs, aut conuentibus exeuntes, ſine ſuorum ſuperiorum licentia, ſed ad ſuos remittant Prælatos. Idemq. Patribus conuentualibus prohibeatur.

Vt di-

Vt diuagandi occaſio Fratribus omnino tollatur ſtatuimus, vt qui ad curiam Romanam non miſsi; ſed pœnas ſibi debitas euitandi gratia cōfluxerint: corrigantur iuxta legem à Generali Capitulo Romano latam anno. 1571. & à Pio V. bon. mem. approbatam.

Confirmatur ſtatutum factum à Magiſtris, & diſcretis conuentus Pariſienſis anno 1597, iuſſu Illuſtriſs. D. Patriarchæ ordinis iam Generalis Miniſtri, in fauorem Prouinciæ Aquitaniæ, quòd videlicet in poſterum decem ſacerdotes recipiantur, & totidem iuuenes.

PRO HISPANICIS PROVINCIIS.

Confirmatur ſtatutum Valliſoletanum, in illorum fauorem, qui per duodecim annos ſacram docuerunt Theologiam, lege hac, & conditione, vt anni illi continui intelligantur, & quod in ſæculo, vel in religione integrum prius liberalium artium curſum, tales etiam perlegerint.

Confirmatur item ſtatutum Generale, de non concedendis licentijs ad nouos conuentus ædificandos, niſi in Generali Capitulo.

Omnia illa quæ in congregatione Victoriæ ordinata ſunt, pro noſtræ familiæ bono regimine, ad vnguem obſeruentur, dempta præeminentia illa, quæ artium liberalium lectoribus conceditur, qui ſi in principalioribus prouinciarum conuentibus legere contingat, ſedere debent poſt Vicarium conuentus.

Vota omnia pro nouitiorum ad habitum receptione, & eorum profeſsione: non verbaliter, ſed per albos, & nigros calculos recipiantur, cum ſic conuentuum paci, & indemnitati melius conſulatur.

Diligenter curet Reuerendiſſ. Generalis, vt Fratres omnes ad chorum deputati, cantum firmum addiſcant, nec aliter ad ſacros ordines promoueri permittat. Cantum autem figuratum in noſtris conuentibus omnino prohibemus.

Miniſtri prouinciales in poſterum, non eligantur ex alienis prouincijs, niſi magna, & vrgenti neceſsitate, & ex conſenſu totius definitorij.

PRO INDIARVM PROVINCIIS.

Commiſſarij Generales in partibus Indiarum exiſtentes, omnibus prouincialibus Capitulis præſint, & cœnobia maiora viſitent, & à curia ſe ſequeſtrent, vt aliorum conuentuum indigentijs facilius conſulere valeant.

Prohibetur eiſdem Commiſſarijs generalibus, in ſtatutis prouinciarum diſpenſare: ſine prouincialium, & difinitorum conſenſu.

Ordinatur eiſdem Commiſſarijs, ne in nouitiorum ad habitum re-

ceptione, nec in incorporationibus Fratrum, ſe intromittant: ſed Miniſtris,& Difinitoribus, eas libere relinquant, quòd ſi aliter incorporatio aliqua facta fuerit, minime teneat.

Conceditur Prouincialibus Miniſtris, vt pro publicis & grauiſsimis cauſis, vnum vel alterum Fratres, ad Regiam curiam mittere valeant: rationem reddituros ſuperioribus Prælatis, de Prouinciarum ſtatu, & neceſsitatibus, vt melius & facilius remedium adhibeatur.

Socij vtriuſque Commiſſarij: inhabiles eſſe declarantur, ad officia Guardianatus,& Prouincialatus ſubeunda, omni prætextu poſtpoſito.

Omnino interdicitur, ne prætextu cauſæ in iudicium deducendæ aduerſus aliquem Fratrem, eum ab officijs honoris ſequeſtrent, maxime ſi alias dignus ſit honore.

Prohibetur ſtricte Fratribus ab Indis Hiſpaniam verſus petētibus, ne auro, argento, lapidibus precioſis, alijſvè donis, etiam pietatis cauſa ſe onerent,& contrarium facientes pœna proprietatis plectantur.

Difinitores actuales Prouinciarum, non eligantur cuſtodes pro Generali Capitulo immediate futuro.

Renouatur ſtatutum Tholoſanum, quod vocales non teneantur accedere ad Congregationes Generales, ſed tantum ad Commitia Generalia, in electione Generalis Miniſtri ſuffragaturi.

Præcipitur Prouincialibus Miniſtris, vt lectores eligant in principalioribus conuentibus, qui linguam Indicam doceant Fratres,& Fratres illam addiſcant, atque ea loquantur; vt melius mini ſterio naturalium vacare valeant.

Prohibetur Generalibus Commiſſarijs, literas teſtimoniales petere à Fratribus, pro optima ſuorum officiorum adminiſtratione, ne aliquid iuri diſſonum inde ſequatur.

Fratres omnes ſuos ſuperiores miniſtros pro ſuſpectis recuſantes, in ſuis cauſis agendis, carceribus mancipentur, & vt ſeductores à Prouincia exilio condonentur.

Frates ad Indos transfretantes, ſub Commiſſarij alicuius obedien-cia,& ad deſtinatam Prouinciam, ſi in aliam ſe conuerterint, Apoſtaſiæ pœna plectantur, & ſtatim ad eam remittantur Prouinciam ad quam fuerant deſtinati. Quòd ſi Miniſtri, aut Guardiani ſecus aliquādo fecerint: priuationis ſuorum officiorum pœnę ſubiaceant.

Confirmatur ſtatutum de Fratribus transferendis, ex vna in aliam Prouinciam, de conſenſu vtriuſque Miniſtri, & ſi aliter aliquis Frater receptus fuerit: Miniſter qui illum recepit, priuationi ſui officij ſuccumbat,& Frater receptus, tanquam ſpurius Prouinciæ reputetur, & incorporationi,& officijs ordinis ſubeundis inutilis habeatur.

Fratres omnes ad Indos tranſmeantes, teneantur rationem reddere vicecommiſſario Indiarum, in conuentu S. Franciſci Hiſpalenſi exi-

ſtenti

ſtenti, de rebus omnibus, quas pro Eccleſiarum ornatu, & ſeruicio eò deferunt (vt ſunt paramenta, imagines, libri ſcholaſtici, & pro choro deputati) & ab illo accipient teſtimoniales literas de omnibus, ad Miniſtros deferendas, vt illis innoteſcat, quæ, quanta, & qualia, à Fratribus deferantur, ſecus autem facientes proprietatis pœnis puniantur.

Confirmatur ſtatutum Generale de exiſtentia Vicecommiſſarij Indiarum, in conuentu S. Franciſci Hiſpalenſi.

Declaratur ſtatutum Generale de approbatione Fratrum ad Indos mittendorũ, hoc modo, quod illi qui in tabulis Capitularibus Prouinciarum approbati extiterint, pro approbatis habeantur: niſi aliqua poſtea ſui honoris publica nota maculati fuerint.

Præcipitur ſtrictę Prouincialibus Miniſtris, vt de elemoſynis cuſtodibus ad Generale Capitulum accedẽtibus elargitis, rationẽ exactam & diſtinctam quærant, vt in omnibus tutiſsime incedatur.

SEQVVNTVR SVFFRAGIA.

PRo S. D. N. CLEMENTE Papa VIII. quem Deus Eccleſiæ ſuę feliciſsime incolumem ſeruet, à quolibet ſacerdote tres miſſæ dicantur.

Pro Chriſtianiſsimis, & Catholicis Maieſtatibus; [illegible] Cæſarea, & Regiis, duę miſſæ, à quolibet ſacerdote dicantur.

Pro Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. Cardinale Matthęio, noſtri Seraphici ordinis Protectore, à quolibet ſacerdote, vna miſſa dicatur.

Pro Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. Cardinale Burgheſio, huius noſtri Capituli Præſide, à Sanctiſsimo ſpecialiter deputato, à quolibet ſacerdote vna miſſa dicatur.

Pro Sereniſſ. Magno Etruriæ Duce, eiuſque Illuſtriſſ. Prole, qui incredibili deuotione, ac beneuolentia Religioni noſtrę afficitur: & pro illa ingentes facere expenſas (etiam ad hoc Generale Capitulum) non dubitauit, à quolibet ſacerdote vna miſſa dicatur.

Pro vniuerſo Illuſtriſsimorum Cardinalium Cætu, & pro Senatu P. Q. R. ac pro omnibus Chriſtianis principibus, ac cęteris noſtris benefactoribus: à quolibet ſacerdote vna miſſa dicatur.

Et vniuerſaliter pro pace, & confœderatione retinenda inter Chriſtianos Principes, proſtratione hoſtium fidei, hæreticorum, & Turcarum, ac pro ſtatus Eccleſiaſtici conſeruatione, à quolibet ſacerdote duæ miſſæ dicantur.

Congregatio Generalis proxime futura, in noſtro Bononienſi Annuntiatę conuentu ſignatur.

Mortui ſunt, à Capitulo Generali præterito Valliſoleti celebrato, Fratres fere ſeptem millia. Quorum plurimi pro fidei defenſione ſeſe morti tradiderunt. Inter quos Frater Petrus, F. Martinus, F. Fran-

ciſcus

ciſcus, F. Philippus, F. Gundiſaluus, & Alter F. Franciſcus, ex Prouincia S. Gregorij; ob Catholicæ fidei confeſsionem, iuſſu Iapponenſium Imperatoris, fame, ſitiq. in carcere cruciati, abſciſsis auriculis, & curribus attracti, per medias Meacum, Vſacam, Sacai Vrbes, poſt alia tormenta Langaſſachæ crucibus affixi, lanceiſq. confoſsi, vna cum viginti Iapontinis, quos Ieſu Chriſto pepererant; fortiter obierunt, quinta die Februarij anni 1597. Die vero 15. Auguſti eiuſdem anni, Frater Coſmas Malacitanus, Hieroſolymis Maumethanorum templum ingreſſus, Chriſti fidem viriliter prædicans: magno fuit impetu repulſus, & cum varijs in tormentis conſtans inueniretur, multis bonorum promiſsis, fruſtra tentatur, & tandem capitis obtruncatione martyrium conſ[illegible]uit. Cuius corpus per vrbem turpiter raptatum, flammis cor[illegible]m traditum eſt.

Fr. Nunnius daCa
ordinis Secret9


CONFIRMATIO GENERALIS MINISTRI.

Dilecto Filio Franciſco Soſa Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupat. Miniſtro Generali.

CLEMENS PAPA VIII.

DILECTE Fili, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut accepimus, Tu in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, nuper in Domo B. Marię de Aracæli de Vrbe celebrato, in eiuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem canonicè electus fueris. Nos Te de cuius Religionis zelo, vitæ munditia, morum honeſtate, ſacrarũ litterarum ſcientia, alijſq. virtutum donis fidedignorum teſtimonia apud Nos perhibentur, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq. Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, Te in Miniſtrum Generalem præfati Ordinis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, Tibiq. dictum Ordinem regendi, gubernandi, viſitandi, corrigendi, & reformandi, ac alia quæcumque ad Miniſtri Generalis huiuſmodi officium pertinentia faciendi, gerendi, & exequendi facultatem concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq. contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Iunij M. D C. Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. Veſtrius Barbianus.



di S. PIETRO in carcere.

DEDICATO ALL'EMINENTISS. E REVERENDISSIMO

CARD. FRANCESCO Albici

PROTETTORE.

Ad iſtanza delli Sig.ri SAGRESTANI

S'allude alla conneſſione di S. GIOSEPPE à S. PIETRO

SONETTO.

TV Vicario d'vn Dio, io il Genitore
Auuinti al pari, per diſpar ragione
Habbiamo del Tarpeo sù la magione
Colligati li Tempij, e in vn l'hore.

CATENE al collo mio cinge l'Amore,
Alle tue mani l'odio di Nerone.
Io auuinto mentre fuggo; e tu in PRIGION
Te cinge il ſeruo; e me lega il Signore.

Dio ti vieta il fuggir: ti annoda vn Rio.
Per ch'io fugga con lui, fia ch'ei mi leghi:
Sei preſo tu per Dio; me prende vn Dio.

Ch'io mi ſciolga già mai, non ſia chi preghi;
...e ſe per ſcioglier te fù il voto pio;
...i d'vn GIESV', chi pio mi nieghi?

Fr. Innocenzo di Pauia Min. Oſſ. Rifor. Proc. del B.Bern. da